

GENETHLIACUM,

V I R O

*Excellentissimo Experientissimo atque
Doctissimo,*

D O M I N O

GEORGIO
PETRO Schulzen /

D. & Prof. Publ. Ord. Gymn. Thorun.
meritissimo,

Natalem Suum

D. 28 Ianuar. Anno M. DCCXIII.
celebranti,

Debitæ observantiaæ testandæ ergo
oblatum

Triga AVditorVm
Ex Ord. Supr.



T H O R V N I I,

Impressit JOHANNES NICOLAI, NOBIL, SENAT, ET GYMN. Typogr.

Scilicet

Jure dies nostris venit hæc celebranda Camænis,
Quam post disjectas tenebras & nocte fugata,
Flammivomus Titan, vasto se gurgite tollens
Oceani, Eois hodie revocavit ab oris.

Hæc etenim hæc est illa dies, quæ luxit in ortus
Prima Viri Clari, nostri qui culmina Pindi
Incolit, ad Clarium sacræ Permessidis amnem
Dux noster, cuius puro de fonte propinat
Indeffesus aquas nobis, qui quasi eundum
Ad Sophiæ, nec non Themidos palatia sacra
Monstrat iter, vitæ tradens præcepta regendæ,
Atque docens, quænammenti medicina salutem
Afferat, & morbos ejus propellere possit;
Qui sit finis, & extremum quid, quidque bonorum
Cunctorum summum, quod ab omni parte beatam
Efficiat vitam; tum qua ratione tenenda
Imperii sint frena, quibus Respublica quævis
Legibus & placitis & moribus atque statutis
Sit moderanda, modo quo sit reddenda beata
Et felix; simul & libros evolvere Legum
Instituens, & nosse quid æquum, & reddere jura,
Atque brevi: omnigenis dulces e fontibus haustus
Instillans, quippe Aoniis bene potus & Ipse
Undis, & variæ doctrinæ nectare dulci.

Scili.

Scilicet a teneris Musarum est castra secutus,
Strenuus ac annos per multos egit in illis,
Assiduaque manu doctorum scripta Virorum
Trivit, desidiæ ac ignavi nescius otium.
Sicut apis flores quærens, quam plurima rura
Pervolat, e pratis decerpens optima quæque:
Collegit variis doctrinæ mellia viretis,
Dum multos hominum mores perspexit & urbes,
Atque peregrinans magnorum ex ore pependit
Doctorum, quos perpetuo mirabitor omnis
Aetas. Vedit Eum multa laude inclyta tellus
Belgarum, sedes Musarum, & clara palestra
Palladis, ac ostendit Ei quæcunque celebrant
Has oras, ritusque suos, legumque statuta;
Vedit Eum in primis toto celeberrima mundo
Leida, domusq; Heliconi adum penetrat alia pandit,
Abstrusasque ad opes illarum aditumque viam-
que.

Quis tanta virtute Viri genialia nolit
Festa sacris celebrare modis, quis debita nolit
Gaudia testari, ac obstrictæ pignora mentis
Doctori jam ferre suo, & bona fundere verba?
Exigit id pietas, veterumque exempla requirunt,
Quos scimus cultu vario celebrasse Calendas

Nata-

Natales magna clarorum laude Virorum.
Omnia tunc sonitu resonabant atria læto,
Succendebantur numerosi thuris acervi
Junoni, aut etiam faciebant pulte fritilla,
Et Genium venerabantur, precibusque colebant,
Ergo & nos hodie merito pia thuro litamus
Sed non Junoni (ut cæcis detentatenebris
Gens paganorum) ast cæli terræque Satori
Summo, conjunctis votis & mente precantes:
Adsit avis TIBI natalis Clarissime SCHUL-

TZI

Det DEus, incolumi ac salvo TIBI saepius ista
Festa dies fausto ac læto omne læta recurrat,
Donec inoffensa traducto tempore vita,
Natalem celebres cœlestis de beatus.



4538